

COLLEGII RABBINICO-BIBLICI
IN
LIBELLUM RUTH,

DISPUTATIO II. EAQUE
PRÆLIMINARIS POSTERIOR

DE
LIBRI INTERPRETIBUS.

RESPONDENTE
MICHAELE Sieber / LIPSIENSI.

d. XXIV. Februar. A. MD LXXIX.

§. I.

Utilitas
hujus Sche-
diasmatis
de Inter-
pretibus.

Ræcognita de libello posthæc enarrando, quantum pro instituti ratione sufficit, perlustravimus; nunc *eius Interpretes* videamus. Multum enim conatui nostro confidimus profuturum, si *tum* catalogum horum Interpretum texuerimus generatim, *tum* ex his præcipuè illos, quorum ad singulas pericopas laborem annotationibus nostris præmittendum recensebimus, paulò penitiùs exhibuerimus cognoscendos. *Illud* ad promptuarium veluti deducet Auditores nostros, (his enim tenui nostrâ suppellectile contentis, non aliis plura magisq; exasciata cupientibus isthæc scribuntur,) è quibus non depromant modò, si præter hæc Philologica litem unice spectantia alia adhuc à nostrâ Professione, adeoq; & instituto aliena, sive mystica, sive moralia, ex hoc libello velint, sed & materiam in ipsis Exercitiis differendi, quam identidem suppeditabunt sterilitatem fortè incusaturis. *Hoc* veluti clave accuratiorem interpretationum notitiam aperiet, siquidem Interpretum, quos diligentius consulere animi fert lubentia, historiam, vitam, conditionem, eruditionem, virtutem & auctoritatem perspecta habere, ad ipsorum mentem penetrandam insigniter conducat. *Utrumq;* igitur in hæc alterâ præliminari paucis persequemur.

§. II. In-